MISSALE ROMANUM
Diözese Brixen (möglicherweise in einem Dominikanerkloster), Wende 12./13. Jh. Seite 208r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35036
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore



& orabat. ut si fieri posset transiret ab eo hora. Et dixit.
Abba pater. omnia tibi possibilia sunt. transfer calicem hunc
a me. Sed non quod ego uolo. sed quod tu. Et uenit. et inuenit eos
dormientes. Et ait petro. Symon dormis. Non potuisti
una hora uigilare. Vigilate & orate. ut non intretis in temp
tacionem. Spiritus quidem promptus est. caro autem infirma. Et
iterum abiens orauit eundem sermonem dicens. Et reuersus
denuo. inuenit eos dormientes. Erant autem oculi grauati.
& ignorabant quid responderent. Et uenit tercio. & ait
illis. Dormite iam & requiescite. Sufficit. Venit hora.
ecce tradetur filius hominis in manus peccatorum. Surgite eamus. Ecce
qui me tradit prope est. Et adhuc eo loquente. uenit iudas
scarioth unus de duodecim. & cum eo turba multa. cum gladiis
& lignis a summis sacerdotibus & a scribis. & a senioribus. De
derat autem traditor eius signum eis dicens. Quemcumque osculatus
fuero ipse est. tenete eum & ducite caute. Et cum uenisset
statim accedens ad eum ait. Aue rabbi. Et osculatus est e
um. At illi manus mittentes in eum. tenuerunt eum. Vnus
autem quidam de circumstantibus educens gladium. percussit ser
uum summi sacerdotis. & amputauit illi auriculam. Et respon
dens ihesus. ait illis. Tamquam ad latronem existis cum gladiis &
lignis comprehendere me. Cotidie eram apud uos in tem
plo docens. & non me tenuistis. Sed ut adimpleantur scripture.
Tunc discipuli eius relinquentes eum. omnes fugierunt. Adolescens
autem quidam sequebatur eum amictus syndone super nudo. &
tenuerunt eum. At ille relicta syndone. nudus profugit ab eis. Et
adduxerunt ihesum ad summum sacerdotem. & conuenerunt omnes
sacerdotes. & scribe. & seniores. Petrus autem a longe secutus est eum